Praelectiones a. 18 22/23

Praemittitur G. E. Groddeckii Epicrisis Quaestionis de fine Tragoediae graecae veteris ethico et politico.

PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM
CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIBVS A. MDCCCXXII.
AD PRIDIE KAL. QVINTILES A. MDCCCXXIII.

HABENDAE

INDICVNTVR

A

RECTORIS VICARIO ET SENATV ACADEMICO



PRAEMITTITVR G. E. GRODDECKII

EPICRISIS QUAESTIONIS DE FINE TRAGOEDIAE GRAECAE VETERIS
ETHICO ET POLITICO.

VILNAE
EXCVDIT IOSEPHVS ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHVS.


BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS


Biblioteka Jagiellońska
1002355673

EPICRISIS QVAESTIONIS DE FINE TRAGOEDIAE GRAECAE VETERIS ETHICO ET POLITICO.

In quaestione, quam, a doctissimis viris haud semel agitatam, denuo recognoscendam proposuimus, non id ambigitur, an in tragoediis Aeschyli, Sophoclis, — et quidni etiam Euripidis? — passim loca reperiantur, quorum ad vitam tam publicam quam privatam prudenter et honeste instituendam, ad animorum affectus moderandos, cupiditatesque coërcendas, ad mentes pietate, constantia, fortitudine, humanitate imbuendas, magna vis sit atque utilitas? Quis enim, cui iudicium modo sincerum sit et incorruptum, vel uno Sophoclis dramate perlecto, dubitaverit, nedum negarit, egregia humanitatis, sapientiae ac virtutis praesidia carminum horum diligenti lectione quaeri atque parari posse? Neque illud valde ambiguum aut controversum videatur, summine poëtae sententiarum gravissimarum, praeceptorum saluberrimorum lumina veluti aliud agentes, aut ad solum dramatis ornatum adhibuerint; an veri pulchri bonique intimos sensus, quibus ipsi imbuti erant, ubicumque et res et tempus et locus id suaderet, personarum autem loquentium indoles et ratio etiam postulare videretur, tam luculenter exposuerint, ut pectus fuisse, quod adeo disertos faceret, appareat? Quod qui statuunt, quum recte iudicare nobis persuasum sit; in eorum tamen opinionem discedere nequimus, qui hac ipsa aliisque rationibus inducti, et reipublicae commoda, et vitae morumque emendationem, praecipuum finem fuisse contendunt, ad quem tragici veteres, Aeschylus atque Sophocles, tum in eligendo dramatum suorum argumento, tum in fabularum compositione, consilia studiaque sua direxerint. In hoc enim totius quaestionis quasi cardo vertitur. Iam quae in utramque partem argumenta afferri solent, post *Batteusium* et *Rochefortium a*), aliosque deinceps, nemo subtilius persecutus est, quam nuper eruditissimus auctor *Quaestionum Sophoclearum b*), libri bo-

a) In Memoires de Littérature de l'Acad. des Inscr. T. XXXIX. pag. 54 et 125.

b) Aug. Lud. Guil. Iacob, antiquar. litter. in Regia Univ. Varsaviensi Professor. Libri supra laudati volumen primum prodiit Varsaviae impensis auctoris 1821. octonis.

nae frugis plenissimi, qui, sive ingenii scriptoris solertiam, sive exquisitae doctrinae copiam, sive sermonis elegantiam et suavitatem spectes, haud minimum litteris nostris decus atque incrementum attulisse putandus est. Quas eximii operis dotes quo libentius agnosco, eo minus vereor, ne, in multis dissentiens a partibus, quas vir doctissimus ipse tuetur, magis litigandi causa, quam semper procul habui, quam veri exquirendi studio incensus, contra disputasse existimer.

Investigemus igitur, Commilitones, qua fide, qua auctoritate nitatur virorum doctorum opinio, quam diximus, tragicorum veterum in conscribendis fabulis suis consilium ad rempublicam aut ad mores popularium suorum regendos formandosque pertinuisse. Historici enim generis disceptationem esse, de qua agitur, nec nisi historicis argumentis confici posse, iure quodam nostro sumere licet. Historicas autem dico rationes, quae vel veterum scriptorum diserto testimonio colliguntur, vel ab ipso dramatum argumento atque contextu repetuntur. At illas quidem frustra quaeri, etiam in Scholiorum Graecorum ad tragicos poëtas, quae exstat, farragine, nemo dubitet c). Nam quod vulgo ad Aristotelem provocant, in Poëtices fragmento (VI. 2.) docentem, *tragoediam miseratione et terrore eiusmodi perturbationum animi purgationem perficere* (δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν); ut nihil dicam de verborum, quae descripsimus, nota ambiguitate; acute monet *Jacob*, vir clarissimus, philosophum in tragoediae definitione sua non tam ad tragoedias Graecas, quae tum maxime celebrarentur, quam omnino ad dramatis tragici naturam respexisse d). In quo Galli etiam duumviri, quorum nomina supra excitavi, reprehendendi videntur, quod uterque finem Graecae tragoediae ex Aristotelis maxime praeceptis constituere conati sunt, eo tantum inter se diversi, quod alter, Batteusius, *delectationem*, alter, Rochefort, *institutionem vitae morumque*, summum tragoediae finem a philosopho tradi existimat. Quo iure autem *Aristophanes*, comicus poëta, sententiae, quam impugnamus, testis locupletissimus vocari adhiberique possit e), difficile dictu est. Quem perpetuum tragicorum poëtarum, praesertim Euripidis, exagitatorem fuisse norunt omnes; quique, si vel maxime quum aliis locis, tum in Ranarum fabulae parte posteriore, poëtarum virtutes vitiaque utilitate aut detrimento, quae reip. et moribus attulerunt, ponderat, eo tamen neque *finem* tragoediae aliorumque carminum *docendo* contineri asseverat, et animadversioni

c) *Jacob* in Quaest. Soph. p. 161. „Quodque mireris, *Scholiastae*, qui egregiam interpretationis varietatem adhibere suis scriptoribus soleant, de huiusmodi tragoediae cum civitate ratione adeo nihil produnt, ut prope eorum, qui negant fuisse ullam, confirmare opinionem videantur.“ Cf. ibid. p. 169 sq.

d) *Quaest. Sophocl.* p. 161. „Nec vero in hac re, cui plurimum omnes tribuunt, Aristoteles quicquam auctoritate sua proficit. Is enim, quum tragoediam miseratione et timore purgare has et similes perturbationes dicat, hac definitione magis, quid possit tragoedia effici, quam quid Graeci poëtae ea voluere efficere, nos edocet.“

e) Quaest. Sophocl. p. 170 sq.

suae, in speciem gravi, tantum, uti solet, leporis, salium ac facetiarum admiscet, ut verendum sit, ne eius auctoritate, si re vera exstaret, abutamur. Quid? quod ipsa loca Aristophanea, quae, ex aliis pluribus selecta, apposuit vir doctissimus *f*), ut, quum Aeschylo ex Euripide quaerenti *g*)

Ἀπόκριναί μοι, τίνος οὕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν;

(Dic mihi, quid admirandos faciat poëtas?)

hic respondet:

Δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν
Τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν.

(Dexteritas et admonitio, qua homines in civitatibus meliores reddimus.)

itemque alius *h*), ubi Aeschylus inducitur, ita praecipiens:

— — — — Ἀλλ' ἀποκρύπτειν χρὴ τὸ πονηρὸν τόν γε ποιητήν,
Καὶ μὴ παράγειν, μηδὲ διδάσκειν. Τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν
Ἔστι διδάσκαλος, ὅστις φράζει· τοῖς δ' ἡβῶσίν γε ποιηταί.
Πάνυ δὴ δεῖ χρηστὰ λέγειν ἡμᾶς. — — —

(Sed prava celare oportet poëtam, non vero proferre, neque docere. Nam pueris quidem adest magister qui doceat, adultis autem poëtae. Profecto igitur optima et saluberrima dicere nos oportet.) —

haec, inquam, ac similia loca et generatim ad quoscumque poëtas, non solos tragicos spectant, nec quidquam de eorum consilio, carminumve, quae fingunt, fine praecipiunt, sed omnino poëtarum officia, utilitatem ac praestantiam declarant *i*). Ad Aristotelis autem de arte tragica praecepta ut revertar, etsi philosophum, ut supra dixi, tragoediae ipsius naturam et indolem potius quam poëtarum tragicorum consilia, e *temporibus*, quibus floruere, ex *Jacobi* V. Cl. sententia *l*), potissimum diiudicanda, rimatum esse, nullus dubito: quum idem tamen celeberrimorum, quos Athenae prodidere, tragicorum exemplis ad probanda illustrandaque dicta sua saepe utatur; profecto mirum esset, si singularem hanc tragoediarum, quae tunc maxi-

f) Quaest. Sophocl. p. 171.

g) Aristoph. Ran. 1008 sq.

h) Ibidem vs. 1053—56.

i) Eadem sententia inest versibus praeclaris eiusdem fabulae 1030—1036. quos apponere iuvat:

Ταῦτα γὰρ ἄνδρας χρὴ ποιητὰς ἀσκεῖν. σκέψαι γὰρ ἀπ' ἀρχῆς,
Ὡς ὠφέλιμοι τῶν ποιητῶν οἱ γενναῖοι γεγένηνται.
Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε, φόνων τ' ἀπέχεσθαι·
Μοῦσαιος δ' ἐξακέσεις τε νόσων καὶ χρησμούς. Ἡσίοδος δε
Γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους· ὁ δε θεῖος Ὅμηρος
Ἀπὸ τοῦ τιμὴν καί κλέος ἔσχεν, πλὴν τοῦθ' ὅτι χρήστ' ἐδίδαξε,
Τάξεις, ἀρετὰς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν; — —

l) Quaest. Sophocl. p. 166. 170 sq.

me probabantur, cum republica et civium moribus coniunctionem ac necessitudinem, quam ignorasse eum vix est credibile, prorsus silentio praeteriisset, eo praesertim loco, quo longe alium tragoediae finem disertis verbis enunciat (V. 12 sq.): Καὶ τὸ τέλος πρᾶξίς τίς ἐστιν, οὐ ποιότης. εἰσὶ δε κατὰ μὲν τὰ ἤθη ποιοί τινες· κατὰ δὲ τὰς πράξεις εὐδαίμονες, ἢ τοὐναντίον. Οὐκοῦν ὅπως τὰ ἤθη μιμήσονται, πράττουσιν· ἀλλὰ τὰ ἤθη συμπεριλαμβάνουσι διὰ τὰς πράξεις. ὥστε τὰ πράγματα καὶ ὁ μῦθος τέλος τῆς τραγῳδίας. τὸ δὲ τέλος μέγιστον ἁπάντων ἐστίν. *Et finis actio aliqua est, non indoles. Morum autem respectu homines indole quadam praediti sunt; actionum respectu, felices vel contra. Non ergo, ut mores imitentur, agunt aliquid; sed mores simul comprehendunt agendo. Quare facta et fabula finis sunt tragoediae. Finis autem omnium maximum est.*

Vidimus igitur, a veterum scriptorum testimoniis parum praesidii ad placitum hoc de tragoediae Graecae fine atque consilio, ad civitatem moresque relato, stabiliendum peti posse. At, inquis, sileant testes, dummodo fabularum argumenta et contextus loquantur! Quot, quaeso, fabularum? Aeschyli et Sophoclis longe maximam dramatum partem interiisse; solis quatuordecim tempus pepercisse, novimus *m*). Nam Euripidis ne ratio quidem habetur: cuius dramata undeviginti, quae supersunt, a certo fine aliquo, cum reipublicae rationibus coniuncto, remotissima esse, ipsi opinionis huius propugnatores fatentur; quemque prorsus diversa et deteriora consilia secutum, mores civium fabulis suis et mollissimis cantilenis adeo depravasse insimulant, unius scilicet Aristophanis, acerrimi adversarii eius, nec in figendo inimico nisi iocos risusque captantis, auctoritate freti *). Verum esto. Certe quatuordecim illae summorum tragicorum fabulae, quae omnium, Graeca legentium, manibus hodieque teruntur, litem diriment aut component. Minime vero. Nam demptis unis *Aeschyli Persis*, in victoriae Salaminiae memoriam laudemque compositis, reliquarum fabularum argumentum ex cyclo mythico h. e. ex orbe sive serie mythorum, ab epicis poëtis et antiquissimis Logographis traditorum, desumtum esse, quis ignorat? Ex superioris autem aetatis tragicis unius *Phrynichi* duo dramata commemorantur, *Expugnatio Mileti* (ἅλωσις Μιλήτου) *n*), et *Phoenissae*, cladem Persarum exponentes, quas Aeschylus in *Persis* suis imitatus esse dicitur *o*). Hunc

m) Sensit quidem, sed haud removit vir doctissimus difficultatem inde ortam, qua tota haec quaestio premitur, loco laud. p. 161.: „Ac de Graecae tragoediae cum rep. et civium moribus coniunctione quaerentibus haud levis inde oboritur difficultas, quod, quum fabularum pars longe maxima interierit, iudicandum est ex paucissimis.“

*) Vide *Jacob* loco laud. p. 178 sqq.

n) Vide Herodotum VI. 21. et Strabonem XIV. p. 635.

o) „Ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι.“ *Glaucus* in libro de fabulis Aeschyli, laudatus auctori argumenti in Aeschyli Persas. Vide *Bentleium* in Resp. ad censuram C. Boyle p. 292 ed. Lips. et *Jacob* l. l. p. 152 et 172.

igitur poëtam *Jacob* fuisse primum censet, qui tragicam artem ad rempublicam converteret. Quod ut verissimum sit, tamen ex iis quae paullo ante dicta sunt, aeque probabiliter coniicias, tragoediarum politicarum genus hoc Atheniensibus parum placuisse, non propterea quidem, quod Phrynichum mille talentis multarunt, vetueruntque, ne quis postea eo dramate uteretur *p*); nam severitatis huius causa, Herodoto auctore *q*), fuit, quod poëta, exhibito isto dramate, domesticarum calamitatum dolorem refricuisset; sed, quod mox, repudiatis eiusmodi argumentis tragoediarum, mythica et heroica revocasse poëtas, in iisque fere substitisse videmus.

Quae denique rationes ex ipso fabularum contextu petuntur, ut, quum ponitur, Aeschylum Septem adversus Thebas fabulam ad bellicos spiritus inflammandos, Persas ad moderationis deorumque reverentiae commendationem, Prometheum contra nimiam Periclis potentiam, Eumenides ad antiquam Areopagi auctoritatem instaurandam, Agamemnomen et Choëphoros ad moderandos hominum animos et arrogantiam reprimendam conscripsisse *r*): nituntur illae aut observatione locorum singulorum, quae in laudatis tragoediis in istas sententias scripta passim reperiuntur, aut mera coniectura. Vtraque ratio quam incerta et lubrica sit, quisque videt. Quî enim ex sententiarum monitorumque, quae in antiquis tragoediis leguntur, multitudine et varietate certo definias, quale consilium in docendo dramate secutus sit, quem finem sibi proposuerit poëta? Poterunt utique plura cogitari. Ipse vir praestantissimus, quocum praecipue agimus, postquam Aeschylo *Septem adversus Thebas* fabulam propter bellicos spiritus maxime Aristophani laudari retulerat, in margine ponit *s*): „Quamquam haec quoque fabula de reverentia, quam Diis debeamus, monitorum est plenissima." Vicissim de *Persis* fabula, quam totam ad moderationis deorumque reverentiae commendationem factam esse vult, ipsum Aeschylum infert, apud Aristophanem (Ran. vs. 1026 sqq.), dicentem, se etiam hac fabula cives ad bellicam inflammasse fortitudinem. Similem in reliquis fabulis, ad certum finem et consilium revocandis, opinionum varietatem haberi, mox significat. *Aiacis* autem (ut hoc unum addam), Sophoclei dramatis, finem constiturus, quum ex Minervae, Menelai et Calchantis dictis recte colligere sibi videatur *t*), Sophoclem Aiacis exemplo docere cives voluisse, „quam graviter puniri ii soleant, qui, nimia sui elati fiducia, nec diis neque hominibus iustam tribuant reverentiam": nescio an alius quis ex Minervae in eodem dramate verbis (vs. 118):

Ὁρᾷς, Ὀδυσσεῦ, τὴν θεῶν ἰσχὺν, ὅση,

p) Vide Herodotum et Strabonem ll. ll.

q) VI. 21. *Καὶ ἐζημίωσαν μιν, ὡς ἀναμνήσαντα οἰκήϊα κακὰ, χιλίῃσι δραχμῇσι.*

r) *Jacob* l. l. p. 174 sq.

s) Ibidem, ead. pag.

t) Qu. Sophocl. p. 188 sq.

et, quae mox sequuntur, Vlyssis illis (Vs. 126 sq.):

> Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
> Εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.

verius, certe speciosius, coniiciat, in fabula hac docenda id egisse poëtam, ut, quanta Deorum in mortales vis atque potestas sit, tantam hominum, etiam fortissimorum, imbecillitatem fragilitatemque existimandam esse, gravissimo Aiacis fato cives suos commonefaceret. At non incertam tantum argumentandi hanc rationem dicamus: etiam vana et irrita videbitur cuicumque persuasum est, opinionem de singulari quodam tragoediae Graecae fine atque consilio, extra poësin posito, nullo niti certo fundamento, utpote quae neque ex natura dramatis tragici pendeat, nec testimoniorum auctoritate confirmetur.

Atque sic quaestionis propositae praecipua momenta satis expendisse videri possim. Sed restant argumenta nonnulla, ex analogia, ex more et instituto Graecorum, e recentiorum poëtarum consuetudine, ex temporibus ducta, quae per se quidem historicorum defectum compensare nequeunt, sed tamen digna sunt, quae accuratius cognoscantur, ut quid veri falsive contineant, palam fiat. Vt a *temporibus*, quibus floruere tragici veteres, incipiam, quod argumentum in primis urget *Jacob*, vir praestantissimus *v*), etsi eorum, ut in alios omnes homines, sic in poëtas magnam vim esse, dubitari nequit; epicum tamen aut tragicum poëtam hoc nomine dignum vix censebimus, qui ingenium artemque suam temporibus sponte sua ita submittet, ut in inveniendo tractandoque carminis sui argumento ad illa totum se componat. Magni sane refert, quum in unoquoque scriptore, tum maxime in poëta, quibuscum hominibus, quo reipublicae statu vixerit, quos vitae tam publicae quam privatae casus expertus sit, quarum rerum et eventorum ipse sive auctor, sive adiutor, sive quocumque modo particeps fuerit; neque mirum, si horum omnium vestigia quaedam in carminibus eius remanserint. Etiam illud libenter concedimus, poëtam ingenuum, verique et honesti studiosum, ipsa argumenti, quod tractat, natura saepe adduci, ut, ubicumque res et locus ita ferunt, utilia temporibus suadeat, hominum vitia castiget, ad virtutem colendam exhortetur; ut tum homines, quos recte aut secus agentes cognovit, tum res et eventa, quorum testis fuit, in carminis perpetuitate modo apertius, modo tectius significet. Quibus vel concessis, nihilo tamen magis efficietur, eumdem magistri vitae morumque munus in se suscepisse, temporibus unice serviisse, idque consilium, hunc finem artis suae fecisse *x*). Quod quum

v) Quaest. Sophocl. p. 162. 166 sqq.

x) Hactenus bene (si a nonnullis recedas) *Batteux* in comm. laud. (Sur la Poétique d'Aristote. De la nature et des fins de la tragédie) in Mem. de Littérature T. XXXIX. p. 67 sq.: „Qu'un poéte philosophe, ou flatteur, fasse sortir d'un drame ou de quelque scène des leçons et des éloges indirects; qu'il incline le miroir, de manière que le spectateur s'y voie et y prenne des avis, c'est l'art de tous les temps; c'est l'art d'Homère, de Sophocle, d'Euripide, d'Aristophane, de Virgile, de Terence, d'Horace. Mais c'est l'art de l'homme, non du genre. Le genre, il est vrai, loin de s'y refuser, s'y prête, y invite.

ne in didactico quidem poëta ferremus, in epico aut dramatico ferendum esse putabimus? At recentiorum poëtarum, Dantii, Tassonis, Racinii, Lessingii, Calderonis, Cervantis excitantur exempla *y*). De quibus quid sentiam, nihil attinet dicere. Nam de antiquis, et Graecis, quaerimus. Inter quos si Archilochus, Tyrtaeus, Alcaeus, aliique carmina reliquerunt, quorum cum republica coniunctio ac necessitudo quaedam negari nequeat *z*); meminerimus, lyricos illos fuisse, animi sensus et affectus, quibus sive rerum, sive hominum caussa, graviter commoverentur, carminum suorum materiam facientes, ipsoque eorum argumento consilium suum manifesto prodentes. Comica autem Graecorum poësis *a*) iam ab ipsa eius origine in irridendis, perstringendis, castigandisque aliorum vitiis et moribus versabatur. A quo utroque poëseos genere quantum differat cultior ac perfectior Graecorum tragoedia, quisque, nec me monente, intelliget. Illud autem, admodum vereor, ut multis probaverit vir doctissimus *b*), magnam partem fabularum *iam ab Homero* aliisque poëtis et philosophis *ad docendos regendosque homines vel inventam fuisse vel conformatam.* Quod tetigisse in praesens satis habui. Magnus enim locus est et perdifficilis, et aliam disputationem desiderat.

Denique ad dramatis tragici Graecorum originem, eiusque cum sacris et religionibus coniunctionem, tum ludorum scenicorum apud Athenienses publica auctoritate institutionem provocat *Rochefort* *c*), ut finem tragoediae et in cultu deorum fovendo, tuendaque oraculorum auctoritate, et in deterrendis, criminum poena proposita, improbis, postremo in reipublicae rationibus institutisque moderandis positum fuisse demonstret. Satis quidem speciose, sed ad rem, quam voluit, probandam parum apte. Ex origine enim et institutione ludorum scenico-

Mais ce n'est pas son objet direct, son objet formel, comme disent les Scholastiques; ce n'est même l'objet d'aucun genre de poésie, à moins que l'apologue n'en soit un."

y) Vide *Jacob* l. l. p. 163 sq.

z) cf. *Jacob* l. l. p. 166.

a) Vide Eumdem p. 168.

b) cf. Eumd. ead. pag.

c) Sur l'objet de la Tragédie chez les Grecs in Mem. de Litt. T. XXXIX. pag. 142. „La tragédie, en s'introduisant à Athènes, resta toujours liée à la solemnité des fêtes de Bacchus; un des Archontes fut chargé d'y présider; les spectacles se donnerent aux frais du gouvernement. Sous ce point de vue, il seroit bien difficile de ne pas considerer la tragédie comme une institution qui dut sa naissance à la religion, unie à l'amour des talens, et qui devint à la suite un établissement politique, lequel conservoit toujours le caractère de son ancienne origine." Et pag. 146. „Chez les Grecs, un spectacle étoit une assemblée nationale, occasionnée par quelque solemnité.... Il falloit donc à ce corps politique un spectacle qui reunit toutes les sortes d'intérêts qu'ils avoient coutume de trouver réunis dans toutes leurs assemblées, independamment de l'intérêt particulier qui faisoit le caractère propre et distinctif de la tragédie. Ainsi, d'un coté, les principes de la religion, c'est à dire, la verité des oracles, la puissance des dieux, la punitions des mechans; de l'autre, les principes de la politique.... faisoient la base et l'ame des compositions tragiques.

rum, qui pariter atque gymnici a religionibus et deorum cultu repetendi sunt, tragoediae, multo serius a summis ingeniis excultae atque perfectae, finem haud intelligi cognoscive posse, iam eo docemur, quod, quum dramatis tragici primordia prorsus lyrica fuisse, inque Bacchi sive Dionysi tum laudibus, per dithyrambos extollendis, tum rebus gestis mimice repraesentandis constitisse notum sit, Atticae tragoediae, qualem triumviri tragici principes edidere, caput *fabula* et *actio* exstitit, eaque ex universo mythorum orbe delecta; contra cantus lyrici, Choro potissimum demandati, et multo strictiores facti sunt, et in multiplici argumento versantur *d*).

Sed haec hactenus. Vos iam Commilitones Amantissimi, disciplinarum Vobis tradendarum tabula perlustrata, ad auspicanda vel perficienda bonarum litterarum studia ita accingimini, ut non solum doctrinae, sed mentis etiam bene compositae, pietatis in Deum haud fucatae, obsequii in Magistratus ac praeceptores, morumque probitatis et elegantiae laudi, qua maximus omnis institutionis fructus continetur, merendae summam operam impendatis. Τὸ λοιπὸν, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴ τις ἔπαινος, ταῦτα λογίζεσθε *e*).

d) Cf. Horat. Ep. ad Pisones Vs. 196—201.

e) S. Pauli Apostoli verba sunt in Ep. ad Philippenses Cap. IV. 8.

I.

PRAELECTIONES PHYSICORVM ET MATHEMATICORVM.

B. STANISLAVS JVNDZIŁŁ, Phil. et Theol. D., Reg. Soc. Philomath. et Oecon. Vars., Caesar. Societ. Mosqu. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab hora II ad IV^{tae} dimidium, primo Zoologiam universam ita tradet, ut notionibus de natura animalium generatim expositis, eorumque classibus et ordinibus, ad recentissimas virorum doctorum animadversiones descriptis, genera omnia et species singillatim percenseantur, eorumque, maxime indigenarum, patria, mores, usus etc. indicentur. Deinde Botanices doctrinam expositurus, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1. Elementorum a se vulgatorum ductu Physiologiam vegetabilium explanabit; 2. Terminologiam botanicam docebit totam; 3. Varia, quae dicuntur, systemata, ad scientiae huius studia allevanda iuvandaque a viris celeberrimis excogitata, suo iudicio interposito, enarrabit, rationem Linneanam prae ceteris diligenter penitusque cogniturus. 4. Denique plantarum generum ac specierum ad methodum sexualem determinationem ostendet, tum Horti Botanici copiis adhibitis, tum excursionibus botanicis una cum auditoribus suis usurus.

MICHAEL PEŁKA POLINSKI, Phil. D., Acadd. Florent., Luc., Patav. et Societ. Philom. Paris. adscriptus, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O., diebus Mar., Merc., Ven. et Satur. ab horae VIII^{ae} dimidio ad IX, 1) Mathesin sublimiorem tradet, duce Lacroix, et applicationem eius tam ad Geometriam quam ad Mechanicam ostendet. 2) Geodesiam sublimiorem exponet.

IOSEPHVS TWARDOWSKI, Phil. D., a Consiliis Aulicis, Matheseos sublimioris purae P. P. O. Lunae et Iovis diebus ab horae VIII^{ae} dimidio ad IX, Martis autem et Veneris a IX ad XI^{mae} dimidium Algebram et Geometriam analyticam docebit.

MICHAEL OCZAPOWSKI, Oeconomiae ruralis P. P. O. quum primum ex itinere redux fuerit, Oeconomiae ruralis praecepta tradet diebus horisque serius designandis.

IGNATIVS HORODECKI, Phil. D., a Cons. Aul., Univ. Adjunctus, Caes. Soc. Med. Viln. et Med. Paris. Sodalis, Solis, Merc. et Satur. diebus ab hora II pomerid. ad IV Mineralogiam ad recentissimum Werneri Systema tradet.

FELIX DRZEWINSKI, Phil. D., Univ. Adiunctus, diebus Lun., Merc., Iovis et Sat. ab hora IX ad XI^{mae} dimidium Physicam experimentalem tradet ad elementa sua typis vulgata.

CAROLVS PODCZASZYNSKI, Phil. Mag., Architecturae generalia praecepta ad Durandii methodum diebus Lun. et Iov. ab h. VIII^{vae} mat. dimidio ad IX; Mart. vero et Ven. a IX ad XI^{mae} dimidium traditurus 1) disciplinae huius vim ac naturam exponet. 2) Elementa, ad cuiuslibet aedificii structuram et coagmentationem pertinentia, multiplici ratione considerabit. 3) Varias horum elementorum coniunctiones enumerabit et describet. 4) Quo facilius architecturae studiosos ad cognitas iam aedificii partes secum coagmentandas, et in unam structuram componendas instituat, insignem aedificiorum ad varios usus iam paratorum copiam curiosius excutiet, et ad artis praecepta initio stabilita exiget, criticam sic disciplinae partem expositurus. Praecepta vero ubique excipient exercitationes graphicae, ad eum finem suscipiendae, ut 1) variorum aedificii elementorum forma et reciprocus positus in proiectionibus sic dictis effingantur; 2) plurima exemplaria coniunctionum, aedificii partes constituentium, brevi et compendiaria via in tabulas transferantur; 3) postulatorum varii generis aedificiorum idonea specimina adumbrentur.

PETRVS SŁAWINSKI, Phil. D., Soc. Astron. London. Sodalis, quater per hebdomadem, diebus et horis serius designandis, Astronomiam, Iohanne Sniadeckio et Delambrio ducibus, docebit.

VALERIANVS GORSKI, Phil. D., Societati Parisiensi ad augendam civium industriam constitutae adscriptus; Lun., Merc. et Sat. diebus ab h. IX ad XI^{mae} dimidium Mechanicam theoreticam atque practicam docebit. Die Iovis autem, ead. hora, machinarum lineis deformandarum, ad regulas Geometriae descriptivae, praecepta tradet.

Chemiae universae elementa exponet *Ignatius Fonberg* Phil. Candidatus, ad Andreae Sniadecki Institutiones tertium editas, diebus Lun. Mart. Iov. et Veneris ab h. XI^{mae} dimidio ad XII.

Diebus Mart. Iov. et Sat. ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. Topographiam rationemque positionum geometrice delineandarum, ad usus civiles, oeconomicos et militares accommodatam, docebit Magister ad hoc munus designatus.

II.

PRAELECTIONES MEDICORVM.

AVGVSTVS BECU, Phil. et Med. D., a Consil. Status, ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Caes. Soc. Medicor. Vilnensis, Reg. Soc. Vars. et Jenner. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun., Mercur., Iov. et Sat. ab hora IX usque ad XI^{mae} dimidium, exponet Pathologiam generalem et specialem, sua elementa secuturus; mensibus autem aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissis Anatomiae et Physiologiae popularis praeceptis, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii generalis Vilnensis usibus praecipue accommodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

JOSEPHVS FRANK, Phil. et Med. D., Status a Cons. Collegii Praefectorum rei medicae, pluriumque Societatum litteratarum per Europam florentium Sodalis, Ord. S. Annae II et S. Vladimiri IV classis Eques, Therapiae specialis et Clinices medicae Prof. P. O., quotidie ab hora VIII matutina ad IX, in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis aptabit, tradetque sexies per hebdomadem, ab hora IX ad X, ad Praecepta sua Praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad morbos oris, oesophagi, viscerum abdominalium uropoieticorum et partium genitalium spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V ad VI vespertinam.

LVDOVICVS HENRICVS BOIANUS, Med. et Chir. D., Status a Cons., ord. S. Annae II. cl. et S. Vlad. IV cl. Eques, Caes. Acad. Scient. et Med. Chir. Petropolit., Reg. Scient. Acad. Svec., Soc. Nat. curios. Mosqu. aliisque soc. litt. adscriptus, Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1) diebus Lun., Mart., Iov. et Vener. ab horae II^{dae} dimid. ad III Veterinariae Medicinae praecepta tradet. 2) opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, ex iisque, quae huic consilio idonea visa fuerint, in praelectionum usum convertet. 3) Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. iisdem horis habendis, protozoorum, polyporum, animalium radiatorum et molluscorum, vermium intestinorum et exterorum, insectorum, crustaceorum, arachnidum, piscium, amphibiorum, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in Museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; in auxilium vocatis, ubi necesse fuerit, lineamentis in tabula nigra ducendis.

VENCESLAVS PELIKAN, Med. et Chir. D., Caesar. Med. Chir.

itemque Caesar Societatis Medicae Vilnensis Sodalis, Chirurgiae, Clinices Chirurgicae et Medicinae forensis Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, horis serius desginandis Chirurgiam tum generalem tum specialem docebit. Mensibus vero aestivis Medicinae forensis praecepta tradet. Praeterea in Nosocomio Clinico Chirurgico quotidie hora X matutina, disciplinae suae Alumnos, quomodo doctrinam studio comparatam ad usum accommodari oporteat, exemplis docebit.

Idem Mercurii et Saturni diebus, ab horae XI dimidio ad XII, Veneris autem ab hora II pomeridiana ad IV^{tae} dimidium Anatomiae humanae lectiones habebit.

NICOLAVS MIANOWSKI, Phil., Med. et Chir. D., a Cons. Aul. Caesar. Societ. Med. Viln., atque Reg. Societ. Philomath. Vars. Sodalis, Artis Obstetriciae Prof. P. O., Ordinis Medicorum h. t. Decanus, primis quatuor mensibus diebus Martis et Veneris ab horae XI^{ae} dimidio ad XII, Mercur. autem et Saturni ab horae VIII^{vae} matut. dimidio ad IX, virilis sexus discipulis universae artis obstetriciae praecepta tradet, et doctrinam de morbis quum praegnantium et puerperarum, tum recens natorum, quantum ad artem obstetriciam attinet, exponet. Kalendis Ianuariis autem anni proxime sequentis iisdem quidem discipulis per sex menses reliquos, sed binis tantum Merc. et Sat. diebus, inchoatam doctrinam tradere perget. Feminis autem, obstetricum munere in Imperio Rossico fungendi potestatem quaerentibus, item bis per hebdomadem, Martis et Vener. diebus, horis serius designandis, Elementa in obstetricum usum curis suis Vilnae vulgata explicabit. Praeterea artis obstetriciae exercitationes in nosocomio academico, in utriusque sexus auditorum gratiam, rite moderabitur.

IOANNES WOLFGANG, Phil. D., a Cons. Aul., Caes. Soc. Med. Viln. et Reg. Oeconom. Vars. Sodalis, Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. E. diebus Lun., Mart. et Iov. ab h. II ad IV^{ae} dimidium, priore semestri, praemissa brevi utriusque disciplinae historia, tradet doctrinam de medicamentis simplicibus s. Pharmacologiam; altero vero perget ad doctrinam de medicamentis compositis seu Pharmaciam explicandam, experimentisque in laboratorio pharmaceuticis illustrandam atque firmandam.

MICHAEL HOMOLICKI, Med. D., Caes. Soc. Med. Vilnens. Sodalis, Univers. Adiunctus, Physiologiam docebit diebus Lunae et Iovis ab horae VIII matutinae dimidio ad IX, Martis autem et Veneris ab horae IX matutinae dimidio ad X., universa de vita doctrina ad Andreae Sniadeckii V. Cl. Theoriam corporum organicorum strictim tradita, Physiologiam corporis humani uberius exponet, inque singulis functionibus accuratius tractandis rerum ordinem a Bichatio institutum, a Sprengelio autem, Lenhossékio, Richerando et

Magendio perfectum, servabit; potiora tamen huius disciplinae principia ad Andr. Sniadeckii in laudato opere sententiam explicabit. Cuncta vero physiologiae hominis praecepta et animadversionibus, et experimentis doctissimorum virorum, qui nostra potissimum aetate inclaruerunt, confirmanda vel locupletanda, et observationibus, quas Anatomia comparata suppeditabit, passim illustranda curabit.

CONSTANTINVS PORCYANKO, Med. et Chir. D., Caes. Societ. Med. Vilnens. Sodalis, Univer. Adjunctus, Prof. Chir. et Clinices Chirurgicae Adiutor, diebus Lunae, Merc. et Vener. hora III pomerid. docebit Therapiam generalem una cum materia medica generali et Pharmacocatagraphologia s. methodo formulas medicas praescribendi. Deinde in materia medica speciali singula corpora naturalia, medico usui dicata, duce Heckero enarrabit: fusius autem de iis disseret, quae Pharmacopoea, tum Rossica, tum Castrensi Ruthenica, praescripta inveniuntur.

Idem diebus et horis designandis tum fasciarum machinarumque chirurgicarum usum ostendet, tum repetitiones Chirurgicas instituet atque in nosocomio clinico chirurgico studiosorum occupationibus quotidie aderit.

ADAMVS BIELKIEWICZ, Medico-Chirurgus, Prosectoris Anatomiae Vicarius, repetitiones Anatomicas a Kalendis Ianuariis anni proxime sequentis diebus et horis designandis instituet, atque studiosorum operam in dissectionum anatomicarum periculis faciendis moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM DISCIPLINARVM ETHICO-POLITICARVM.

ALOYSIVS CAPPELLI, Phil. et Iur. Vtr. D., a Cons. Status, atque Iuris Canonici, Romani et Poenalis veter. et recent. celebr. Gentium, nec non Linguae et Litterat. Italicae P. P. O. diebus Lunae et Iovis ab horae XI^{mae} dimidio ad XII. Iuris Romani historiam, et partem, quam dicunt, generalem hoc anno exponet. Diebus vero Merc. et Sat. eadem hora de Iudiciis Criminalibus loquuturus, ipsorum origine, obiecto, et natura breviter indicatis, aget 1° de personis legitimis, quae illis intersunt: 2do de probationibus legitimis: 3° de variis iudiciorum criminalium formis. Tandem diebus Martis et Veneris ab hora XI ad XII de Rebus et Iudiciis Ecclesiasticis disseret, atque speciatim a) de Beneficiis: b) de Societate coniugali, et de civili atque ecclesiastica in eam potestate: c) de materia et forma iudicii

ecclesiastici: et d) de singulis actibus in iudicio tum civili tum criminali occurrentibus.

Idem diebus Mercurii et Saturni ab hora IV ad V selecta celebriorum poëtarum et scriptorum Italorum loca ad auditorum libita interpretabitur, ac litteraturae Italicae Saeculi XVI historiam enarrabit.

IOANNES CANTIVS CHODANI, Theol. D., Can. Cath. Viln. Theol. moralis ac pastoralis Prof. P. O. Ordinis huius Decanus, diebus Lunae, Mart., Iov. et Veneris ab horae X[mae] dimidio ad XI universae doctrinae Moralis Christianae novum cursum incipiet; hoc autem anno, praemissis quae huius disciplinae naturam, utilitatem, fontes, adminicula et historiam attinent, ad contemplandas hominis facultates quum physicas, tum potissimum morales perget, legesque quas natura humana in virium harum usu et exercitatione sequitur. Derivatis hinc notionibus generalibus actionis humanae, libertatis, legis moralis, obligationis, conscientiae, virtutis, vitii seu peccati, imputationis, felicitatis, ac finis hominis ultimi, positisque generalibus totius doctrinae Moralis principiis, singula haec ad disciplinam moralem Christianam in specie applicabit. Tandem de officiis Christiani ad Deum et se ipsum relatis, quum internis tum externis, disseret.

ANDREAS KŁĄGIEWICZ, Phil. et Theol. D., Can. Viln. Theologiae dogm. et hist. Eccl. Prof. Publ. Ord., Vicarius Rectoris, diebus Martis et Mercurii ab hora VIII matutina ad X[mae] dimidium, theologiae dogmaticae lectiones auspicaturus, disseret de Religionis revelatae necessitate, veritate, et fontibus; de auctoritate Ecclesiae in rebus ad religionem pertinentibus; de theologiae argumento et vera indole, subiuncta eiusdem usque ad nostram aetatem historia litteraria. Prolegomena haec excipiet primae huius disciplinae partis explanatio, quae doctrinam de Deo, divinisque quum generalibus tum specialibus decretis de salute creaturarum ratione praeditarum, maxime hominum, complectitur.

Idem iisdem horis, sed Iovis et Veneris diebus, praemissa introductione, Ecclesiae Religionisque Christianae, per octo prima saecula, historiam enarrabit.

IOANNES ZNOSKO, Phil. D., Reg. Societ. Philomath. Varsav. Sodalis, a Cons. Colleg., Oeconomiae politicae Prof. P. O., diebus Lunae, Merc., Iovis et Satur. ab horae VIII dimidio ad IX. 1. Oeconomiam politicam proprie sic dictam, atque doctrinam de reditibus publicis ad Elementa vernaculo sermone a se vulgata enarrabit, rationem Adami Smith potissimum explicaturus, adiectis recentiorum hac de re scriptorum opinionibus. 2. Duobus mensibus aestivis rei mercatoriae disciplinam tradet duce Büschio.

IOACHIMVS LELEWEL, Phil. D., Reg. Soc. Philomath. Vars.

Sodalis, Historiae Universalis et Statisticae generalis Prof. P. O., sexies per hebdom., hora V - VI vesp. Chronologiam, Artem historicam et Statisticam tradet. In hist. autem Univ. expositione res Romanas et medii aevi accuratius persequetur.

IGNATIVS DANIŁOWICZ, Iur. Civ. Magister Univ. Adiunctus diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, ab hora III ad V^tae dimidium Principia Iuris Civilis patrii, ad dictata sua exponet.

MICHAEL BOBROWSKI, Phil. et Theol. Magister, Can. Cath. Brestensis, Archaeologiae Academiae, quae Romae floret, adscriptus, sexies per hebdomadem exegeticas lectiones habebit: et quidem diebus Lunae et Iovis hora XI Introductionem in divinos utriusque Testamenti libros et Criticae sacrae praecepta tradet e schedis suis; diebus vero Mercurii et Saturni hora X commentabitur in Pentateuchi capita potiora, inque Isaiae vaticinia; atque diebus iisdem hora XI examinatorii exegetici ope eorum, qui SS. librorum versione latina vulgata uti velint, studia in interpretandis libris Vet. Test. historicis moderabitur.

Idem Martis et Veneris diebus hora III pom. scholas linguae Arabicae, adhibita Grammatica viri celeberrimi de Sacy aperiet, et Locmani fabulas, loca selecta ex libro, a de Sacy hoc indice: Calilah wa Dimnah edito, denique, si tempus sufficiet, priora Surata seu capita Al-Corani explicabit, duce Maraccio.

ANGELVS DOWGIRD, Schol. Piar., Reg. Societ. Philomath. Varsav. Sodalis, Martis, Merc. et Veneris diebus ab horae VIII^vae matut. dimidio ad IX, Philosophiae theoreticae et practicae praecepta tradet ad ductum libri, anno proxime superiore vernaculo sermone a se conscripti et typis impressi de Logica, Metaphysica et Philosophia Morali.

IGNATIVS ONACEWICZ, Phil. Mag., doctrinam de administrando Legati munere, Statisticam et Geographiam Imperii Rossici sexies per hebdomadem tradet, diebus et horis designandis.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM LITTERATVRAE ET ARTIVM ELEGANTIORVM.

GODOFREDVS ERNESTVS GRODDECK Dr., Status a Consiliis, Ord. S. Vladim. IV cl. Eques, Linguae et Litterar. Graecar. et Romanar. Prof. P. O., Proff. Litteraturae et AA.

Eleg. Ordinis h. t. Decanus, quater per hebdom. h. X. Demosthenis orationem pro corona, et selecta Pindari carmina; h. II pom. Ciceronis orationes Verrinas interpretabitur. Bis, Merc. et Sat. diebus, h. X., litterarum Graecarum usque ad Ptolemaeorum aetatem historiam, ad Initia hist. Gr. litter. superiore anno Vilnae secundum edita, enarrabit; h. II. Antiquitates Romanas ad dictata sua tradet.

IOANNES RUSTEM, a Cons. Colleg., Picturae et Artis delineandi Prof. P. O., quotidie ab hora V vespertina ad VII regulas Artis delineandi tradet et explicabit, discipulos quoque in formis ducendis ad lampadis lucem, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, provectiores autem in arte pingendi exercebit.

IOANNES ŁOBOYKO, Linguae et Litteraturae Rossicae Prof. P. O., Ord. S. Annae III cl. Eques, Petropolit. Soc. amicorum patriae Litteraturae Sodalis, quater per hebdom. Lun. Mart. Iovis et Ven. diebus, h. III - V; A) studio provectiorum in usum, 1) pulcherrima poëtarum et scriptorum loca philologice et aesthetice enarrabit, atque historiam Litteraturae Rossicae ad epitomen Greczii (Учебная книга Россійской Словесности) Petropoli 1819-21 IV tomis exponet. 2) Auditorum in vertendis praestantissimis scriptoribus Polonicis in Rossicum sermonem conatus moderabitur. 3) Historiam Imperii Rossici, Schloetzero et Karamsino ducibus, tradet. 4) Linguam Slavicam docebit ad Jos. Dobrowscii Institutiones linguae Slavicae dialecti veteris. B) In tironum usum Grammaticam Rossicae linguae duce Reiffio tradet, eosque in vertendo ex Rossico in Polonicum sermonem exercebit.

IOANNES PINABEL, Colleg. a Consiliis, Ord. s. Vladim. IV cl. Eques, Linguae et Litteraturae Gallo-Francorum P. P. E., diebus Lun. et Merc. hora III-IV., Martis autem et Ven. hora IV-V pomer. 1) linguae et prosodiae Gallo Francorum elementa tradet. 2) Litteraturae huius gentis historiam usque ad saeculi XIX initium enarrabit, una cum aestimatione celeberrimorum in vincta et soluta oratione scriptorum, ducibus Batteusio, Marmontel et Laharpio.

LEO BOROWSKI, Phil. Mag., Poëseos et Eloquentiae Prof. P. E., Poëseos et Eloquentiae theoriam tradet sexies per hebd. h. XI-XII. Ex antiquis artis oratoriae magistris Aristotelis maxime Rhetoricam excutiet, neque deerit iis qui in polonice scribendi exercitationes studiose operam dabunt.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, a Consil. Aul. Adiunctus Univers. Lunae Martisque diebus ab horae VIII^{vae} mat. dimidio ad IX., Iovis autem ab hora XI ad XII. 1) Archaeologiae Biblicae partem secundam, Iahnio duce, exponet. 2) Hebraici sermonis studiosis Leviticum et selecta libri Psalmorum carmina interpretabitur.

Idem diebus Martis et Saturni ab horae XI^{mae} dimidio ad XII docebit elementa linguae Graecae et Luciani libellum qui Ῥητόρων διδάσκαλος inscribitur, explicabit.

BENIAMIN HAUSTEIN, a Cons. Aul., Ord. Reg. Sax. civicis meritis dicati Eques, Univ. Adiunctus, Merc. et Ven. diebus, h. IV, Sat. autem die h. I pomerid. Linguae Germanicae praecepta et historiam litterarum Germanicarum tradet.

Idem Lun., Merc. et Ven. diebus h. I. pom. Anglici sermonis elementa, una cum poëseos Anglicae historia, exponet.

IOANNES DAVID HOLLAND, Lun. Merc., et Vener. diebus, hora III-IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet; doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet, musicasque auditorum reget exercitationes.

CASIMIRVS IELSKI, Artium Magister, Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studia reget diebus Lun., Merc. et Veneris ab horae XI dimidio ad XII.

STANISLAVS HRYNIEWICZ, Lun., Mart. et Iovis diebus, hora I. pomeridiana, Iulii Caesaris Commentarios de Bello Gallico et Plauti fabulam Captivos vernacula lingua explicabit; Saturni autem die, eadem hora, studia auditorum ad latine scribendi operam convertet, regetque.

Artis chalcographicae studiosorum in variis generibus exercitationes quotidie, Solis et festis diebus exceptis, reget Fridericus Lehman Chalcographus.

Artes Gymnasticas, quum equitationis et saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam aperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III-V. Godofr. Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, et Adiutores, Casimirus Kontrym a Cons. Aul. et Simon Felix Żukowski a Cons. Aul. Vniversitatis Adiuncti.

Apparatum machinarum formarumque technologicarum desiderantibus monstrabit Valerianus Gorski mensibus aestivis Solis et Iovis diebus ab h. II-VI pom.; hibernis ab eadem hora usque ad solis occasum.